



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 Cur Christus in Ægyptum fugere voluerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

verba quæ in Missa AEthiopum leguntur in benedictione puerperæ, in hunc modum: Tu Domine instruxisti Moysen seruum tuum in lege tua, & docuisti eum constitutionem mundam, quæ conuenit omni femina, quæ peperit, & infra, Quæsumus pro ancilla tua, quæ seruauit constitutionem tuam, & optat ingredi in sanctum tabernaculum tuum, &c. Intelligitur enim seruasse constitutionem, quantum ad similitudinem quandam externæ ceremoniæ, non quoad propriam rationem, & obligationem legis.

DISPUTATIO XVII.

In tres Sectiones distributa.

De reliquis mysteriis vitæ Christi usque ad annum ætatis eius trigessimum.

Explicato purificationis mysterio, ac reliquo tempore vitæ Christi prætermisso, disputationem de baptismo eius statim aggreditur D. Thom. nos vero, priusquam ad illius mysterij explicationem accedamus, duo præstanda duximus. Primum enim, ut historiam feriem melius texendo, nihil, quoad fieri potest, intactum relinquamus, de Saluatoris infantia, deque reliquo vitæ tempore ab Euangelistis prætermisso, pauca dicemus. Deinde, quoniam reliqua mysteria vitæ Christi minus coniuncta sunt cum disputatione de Beata Virgine, absoluentis omnia, quæ ad illius excellentiam, & dignitatem spectare videbuntur. Quibus finitis reliqua vitæ Christi mysteria, & cæterarum quæstionum D. Thomæ explicationem persequemur.

SECTIO I.

Cur Christus in Ægyptum fugere voluerit.

Matth. 2.

Matthæus Euangelista, c. 2. post narratam trium Magorum historiam, statim subiungit. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. In quibus verbis significari videtur statim post discessum Magorum, nullaque mora temporis interposita Christum in Ægyptum fugisse. Si tamen, quæ supra dicta sunt, recolamus, necesse est, ut multi dies intercesserint. Diximus enim supra Magos adorasse Christum decimotertio die ab eius natiuitate: ex Luca autem capit. 2. constat, quadragesimo die fuisse Christum in templo oblatum, & postea reuersos esse parentes eius in Galileam, in ciuitatem Nazareth: & verisimile est aliquo tempore ibi habitasse, constat igitur plures dies, & fortasse aliquot menses præcelsisse, antequam Beata Virgo discederet in Ægyptum, quamuis incertum sit, quantum illud tempus fuerit. Verbum ergo illud Matthæi, Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini, &c. positum est ad historiam continuandam, non ad indicandum statim post reditum Magorum hanc reuelationem fuisse subsequutam. Dicere verò posset aliquis, reuelationem quidem esse factam Iosepho statim post discessum Magorum, ante purificationem: illum vero expectasse conueniens tempus fugiendi. Quod videtur insinuare Anselmus Matth. 2. dicens: Quamuis timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum puerum deferrent, ubi Simeon accepit eum in vlnas suas, & Anna de eo multa prophetauit. Sed hoc nullo modo dici potest, repugnat enim consequentibus verbis Euangelij. Matth. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. Vbi omnes sancti contemplantur summam

Luc. 2.
Quo tempore
Christus
in Ægyptum
secessit.

Obiectio.

Anselm.

Responsio.

diligentiam, & obedientiam sancti Iosephi, quia subito, & absque vlla mora Angelicæ monitioni paruit, & ita omnes expositores hanc reuelationem ponunt factam, ut minimum post purificationem. Et quamvis Iansenius in Concordia indicet factam esse antequam redirent Nazareth, post præsentationem templi, & expressius Caietan. id affirmet Matth. 2. motus coniectura probabili, non tamen efficaci, ut videbimus: tamen (si attente Euangelium Lucæ confideretur) contrarium verius apparet, ut Euthymius ibi adnotat, & senserunt Tatianus, & Ammonius Alexandrinus in harmoniis Euangeliorum, & colligi potest ex Origine homilia vigesima octaua in Lucam, & Anselmus (si recte pendatur) in eadem est sententia. Nam post verba supra citata subiungit. Quo facto secesserunt in Nazareth, & cum rumor de puero iam inciperet latari, mittitur Angelus Gabriel, qui in Ægyptum faciat puerum deportari. Vbi indicat (quod Ammonius etiam supra notauit) ante præsentationem in templo Herodem non fuisse commotum, nec cepisse querere Christum ad interficiendum, postea vero, cum ex ijs, quæ in templo Simeon & Anna publice de Christo prædicauerant, adiunctis alijs, quæ præcesserant, rumor de illo percrebuisse, cepisse illum magis pertimescere, & contra Christum ira incitari, ideoque missum esse Angelum, qui Iosephum admoneret. Quod ergo Anselmus dixerat parentes Christi timuisse Herodem etiam ante Purificationem, non est intelligendum, ac si timor ille ex reuelatione ab Angelo facta, ortus esset: sed quia ex humana coniectura, & prudentia, cum ardenti amore ad Christum coniuncta, & diligenti cura custodiendi illum, suspitionem aliquam, vel timorem concipere poterunt.

His ergo positis inquirendum occurrit: quæ fuerit necessitas fugiendi in Ægyptum. Et est ratio dubij, qua Herodes non iussit interfici omnes infantes Regni sui, sed solum in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, Christus autem, & parentes non habitabant Bethlehem, sed Nazareth: ergo nullum erat periculum, quod esset Christus interficiendus: non ergo erat, quod hac occasione arrepta, fugerent in Ægyptum. Eo vel maxime, quod Deus, a quo illa reuelatio profecta est, iam præuiderat quo in loco innocentium cades futura essent, & præstiterat non fuisse futuras in Nazareth. Et confirmatur, quia quando Ioseph rediit ex Ægypto propter timorem Archelai filij Herodis diuerit à Iudæa ad ciuitatem Nazareth, existimans ibi se futurum omni periculo liberum, ac securum, ergo eadem ratione potuisset ibi manere ante discessum. Addunt infideles, si Christus verus Deus fuit, quid oportuit fuga vitæ consulere? Imo quid potest esse iniquius (aiebant Nestoriani apud Maxentium dialogo primo) quam vercredatur DEVS propter hominem fugisse in Ægyptum.

Dicendum vero est primo, proximam, & litteralem causam, seu rationem huius itineris fuisse ad vitandum periculum mortis, quod ex insidijs Herodis Christo Domino imminerebat. Erat enim à Deo prædefinitum, ut non in infantia, sed in adultæ tate post prædicatum Euangelium pro hominibus moreretur, & ideo (ait Fulgentius sermone de Epiphania) Dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere: faciet enim (ut subdit infra) eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Neque huic rationi obstat obiectio facta: quia in primis, licet potuisset Christus potentia, ac maiestate sua non solum Herodis insidias impedire, sed etiam regno illum, vitæque priuare: noluit tamen potestate vri, sed dignatione. Ut enim notauit Eusebius, li. 9. de demonstr. Euangel. demonstr. 4. Non decebat Saluatorem adhuc puerum miracula exordiri, atque ante tempus diuinam ostentare virtutem. Vnde recte Fulgen. fugit, inquit,

Iansen.

Caietan.

Euthym.

Tatian.

Ammon.

Alex.

Anselm.

Ammon.

Christus in

Ægyptum

cur fugit.

Fulgens.

Euseb.

Fulgen.

Petr. Chrys.

inquit,

1. Reg. 21. 6.
12.
3. Reg. 17.

Hieron.
Matth. 2.

1. Reg. 21. 6.
12.
3. Reg. 17.

Zufob.
Emiffen.
lanfen.
Eug. Chry.
fium Egi.
ptum ab O.
fua prophetia
pronunciata

inquit, non formidine humana sed dispensatione Diuina, fugit non neceffitate, fed poteftate. Et eleganter Petr. Chryfologus fermon. 150. Quid est, inquit, quod fic coelestis caufa vifitatur, vt humanus fe confundat auditus, laffetur animus, labores intelligentia, fensus hebetetur, fides nutet, fperitubet, credulitas ipfa succumbat, perfoquente homine Deus fugit, fauiente terra coelum trepidat, & pauor patris filio fugiente monftratur, Dauid persequente Saul ad Iudaeam confugit, recepti vicinia domus vnius viduae Helia fufficit ad latebras, Christo fugiente locus deest, prouincia deficit, non subuenit patria, & quae fequuntur vique illud, Euangelista igitur referendo talia videtur excitate hereticorum latratu. Causam vero, & myfterium explicans subiungit inferius. Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris, Deus quando fugit hominem, Sacramentum est, non pauoris, potens, quando fe iudicat infirmo, insequenter non pauet, fed foris producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre capit ex hoste victoriam, hinc est quod Christus fugit, vt cedat temporis, non Herodi: & cetera quae eleganter persequitur. Deinde licet Diuina prouidentia poffet in ciuitate Nazareth, eum custodire immum, tamen fi prouidentiam humanam fpectemus, non satis exiftimari poterat ibi effe fecurus, quia cum Herodes tunc effet vtriuſque prouinciae Rex: facile poterat inquirere, & perſcrutari diligenter donec intelligeret foemina quandam peregrinam, & aduenam Bethlehem peperiffe, ac poſtea difceſſiſſe, ac ita paulatim poterat Saluatorem inuenire. Praeterim cum (vt notat Hieron. circa illa verba Matth. 2. Mortui ſunt enim; qui querebant animam pueri.) non ſolum Herodes, fed etiam Scribae, & Pharifei, vt illi morem gererent, Chriſti necem procurarent. Nec refert, quod Deus praefcuerit Herodem non fuiſſe interfecturum infantes Nazareth, fed Bethlehem: tum quia noluit Deus negotium hoc gubernari iuxta praefcientiam ſuam, fed iuxta periculi granitatem, prout modo hominibus accommo dato vitari poterat: tum etiam, quia licet tantum conſtet interfectos fuiſſe Bethlehemiticos infantes, non tamen inde ſequitur non adhibuiſſe Herodem omnem aliam diligentiam in toto Regno ſuo, fi forteſe alicubi veſtigium aliquod noui Regis nati intueretur. Denique (fi coniectura Caetera vera eſſet) facilius videretur hoc expediri, putar enim ille Virginem, & Ioseph poſt purificationem non rediſſe Nazareth, fed potius voluiſſe habitare in Iudaea, Ieroſolymis, aut Bethlehem. Tamen huic coniecturae non aſſentior: tum quia non habet fundamentum, neque eſt conſentanea Lucae: tum quia etiam oportet rationem reddere, cur non redierint Nazareth, vel ſaltem cur de hoc non fuerunt admoniti, ſi ſatis ibi erant ſecuri, & neceſſe erit tunc vti rationibus adductis.

Secundam vero, & principalem cauſam addidit Euangelista ſcilicet, fugam hanc non de periculi metu, ſed de prophetia veniſſe myſterio, vt Petrus Chryſologus ſupra dicit. Vt adimpleretur, inquit, quod dictum eſt a Domino per prophetam dicentem; ex Aegypto vocaui filium meum. Si enim in Aegyptum non fuiſſet; ex Aegypto vocari non potuiſſet, vt Euſeb. Emiſſentis loquitur. Hoc autem loco cauenda eſt nimis libera (ne dicam temeraria) interpretatio Ianſenii, capit. 11. Concordia, vbi negare auſus eſt, verba illa (vt ſunt apud Oſeam) continere villo modo de Chriſto prophetiam, ſed ſolum per accommodationem quandam ab Euangelista citari. Vt ſi quis de patre nimium amante filium dicat in illo impleri illud poetae. Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis. Et (quod grauius eſt) licentiam prabet ita interpretandi ſimilia Euangelistarum loca, cum dicunt, Vt adimpleretur, quod dictum eſt per prophetam. Sed (vt quemadmodum ſentio, loquar) ſententia haec grauem errorem, & Euangelicam veritati valde pernicioſum continet. Primo, quia pugnat cum verbis Euangelista dicentis,

Fr. Suarez. tom. 2.

Vt adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per prophetam. Non enim potuit clariſſe dicere, Dominum per prophetam loquutum fuiſſe in illis verbis de hoc myſterio, quod in Chriſto impletum eſt. Deinde pugnat cum intentione Euangelista. Vt enim oftendat Chriſtum eſſe, quem prophetiae respiciebant, & in quo omnes implentur, adducit prophetiam, & oftendit concordiam inter praedictionem, & effectum, & hanc vim habet illud verbum, Vt adimpleretur, illud enim proprie adimpleri dicitur, quod praedictum erat. Tertio pugnat cum communis ſententia ſanctorum: omnes enim expoſtentes, tam locum Matth. quam Oſeam, intelligunt ibi conſiderari de Chriſto prophetiam, vt videre licet in Hieron. vtroque loco & epistol. 156. ad Algaſiam. q. 2. & Chryſoſto. Theoph. Euthy. Anſel. Beda, D. Thomas, Gloſſ. ordinaria & alijs expoſitionibus Matth. 2. Vnde Euſeb. Emiſſentis ſupra ſic inquit. Impletum eſt prophetia, & vilitas prophetiae. Et Petrus Chryſologus ſupra dixit, verba illa allata eſſe ab Euangelio, vt cauſam redderet ex myſterio prophetiae. Hanc etiam ſententiam indicauit Gregor. Nazianz. orat. 24. dicens. De quo, id eſt de Chriſto, nunc mihi quoque partem audire videor dicentem; ex Aegypto vocaui filium meum, vbi Elias Cretenſis adnotat, ex Euangelista testimonio conſtare hanc fuiſſe de Chriſto prophetiam. Et eodem modo expoſit Athetaſ. tom. 1. lib. de Incarn. Verbi Dei longe a medio, clariſſe Proſper de promiſſionib. & praediction. Dei, par. tertia, cap. 8. & Anaſtaſius Synaita lib. duodecimo commentariorum in Hexameron. Euſebius, & alij quos ſtatim referam.

Dubitari autem ſolet, vtrum verba illa, prout a Propheta ſunt dicta ad praedicendum hoc myſterium, in ſenſu literali, vel ſpiritali ſint dicta. Euſebius enim dicto lib. de Demonſt. demonſt. 4. non ſolum ſentit illam prophetiam ad literam eſſe de Chriſto, ſed etiam nullum alium pati literalem ſenſum. Quae ſententia verifimilis non eſt, & ideo alij concedunt, illa verba ad literam eſſe dicta de populo Iſrael, nihilominus tamen etiam in ſenſu literali dicta eſſe de Chriſto: ita Lyranus, & Carthusianus, Matth. 2.

Communior tamen ſententia eſt, illa verba in Reſponſo. ſenſu literali eſſe dicta de populo Iſrael, qui ſolet ſi- Exod. 4. lius Dei in Scriptura appellari, vt patet Exod. 4. Filius meus primogenitus Iſrael, & ideo ſub ea ratione interdum gerere figuram Chriſti: atque ita conſequenter dicta eſſe de Chriſto in ſenſu ſpiritali. Ita exponunt Chryſoſt. hom. 8. in Matth. quem Theo- Chryſoſtom. phylaſt. & ſere alij Graeci ſequuntur, Origenes ho- Theophyl. mil. 17. in Numeros, tractans verba illa. Deus eduxit Origen. illum de Aegypto, cuius fortitudo ſimilis eſt Rhinoceroti, & probabile exiſtimat haec verba eodem modo intelligi de Chriſto, quod etiam notauit Hieronym. Matth. 2. clariſſe vero tandem ſententiam docuit idem Hieronymus Oſeam. 11. & alij, quos congerit Hieronym. Franciſcus Ribera in illum locum, vbi copioſe, ac Ribera. docte hanc ſententiam ſuadet. Et eſt ſine dubio vera, niſi forteſſe in modo loquendi ſit controuerſia. Concedimus enim omnes hunc ſenſum fuiſſe ab Spiritu Sancto intentum, vt Euangelista Matthaeus explicuit. Quamquam enim ſenſus ſit ſpiritalis: ſi tamen in alio loco Scripturae explicatus ſit, ab eo ſumitur firmitum argumentum, cum iam conſtet eſſe ab Spiritu Sancto intentum. Praeterea nullus negare poterit, quin illa verba immediate ſignificauerint populum Iſrael educendum de Aegypto, & rem illam fuiſſe figuram Chriſti vocati ex Aegypto. Vnde ſit verba illa mediante re proxime ſignificata hoc myſterium expreſſiſſe, quae eſt definitio ſpiritalis ſenſus. Quia tamen illa verba immediate relata, ad hoc myſterium illud etiam in omni proprietate ſermonis aperte continent, & declarant: iſed addiderunt alij authores, non ſolum in ſenſu

P

ſpiri-

Hieron.
Chryſoſtom.
Theophyl.
Euthym.
Anſelm.
Beda.
D. Thom.
Gloſſ. ordin.
Euſeb. Emiſ.
Petr. Chryſ.
Greg. Naz.

Elias Cret.

Proſper
Anaſt. Syn.

Euſeb.

Dubium.

spiritali, sed etiam in literali illud significare. Nam illa verborum proprietates, non absque singulari Spiritus Sancti providentia servata est: quod quidem pie, & non inrudite animaduersum est. Quia tamen propria ratio sensus literalis requirit, ut non solum oratio nudè sumpta illum sensum in proprietate sermonis referre possit, sed etiam ut in eo sensu possit cum antecedentibus, & consequentibus texti, & vnum integrum historicum, seu literalem sensum conficere: quod prædictis verbis in dicto sensu non potest conuenire, ideo non potest in rigore, & propriè dici sensus literalis.

In confirmationem huius rationis Euangelistæ addere possumus factum etiam id esse, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam, c. 19. Ecce Dominus commouebuntur simulachra Egypti à facie eius. Ita confirmavit hanc rationem Euangelistæ Chrysostom. homil. 2. imperfecti. Et Eusebius libro 6. de Demonstratione. cap. 20. latè locum hunc de hoc mysterio declarat, & Athanas. loco supra citato de Incarnatione Verbi, & Procopius in Isaiam, qui per nubem leuem, sacram Virginem intelligit, cuius vnus in Egyptum Saluator inuectus est. Quæ nubes dicitur, quia per eam Deus pluit in terras gratiam Christi (ut dixit Ambrosius de institutione Virginis) leuis vero, quia virili semine prægauata non est, ut ibidem dixit Ambrosius & in exhortatione ad Virgines, & Hieronymus super Isaiam, vel quia nullum habuit portus peccati, nec passionis, aut fomitis, vel quia super res omnes terrenas volabat, ut dixit Procopius. Quanquam per nubem leuem, etiam caro Christi ex Spiritu Sancto concepta intelligi possit, ut iidem Patres interpretantur, & Augustinus tractatu trigésimo quarto in Ioannem, & Prosper de prædicationibus Dei, parte tertia, capitulo secundo. Addit præterea Eusebius tunc etiam implerum illud esse, Commouebuntur simulachra Egypti à facie eius. Nam Demones, inquit, qui animas Egyptiorum subiectas habebant, cum sensissent nouam, diuinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt, & fluctuationem, ac perturbationem in seipsis pertrulerunt, & corpus ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt, cesseruntque, ac fugata sunt. Indicat autem Eusebius simulachra tunc non fuisse sensibilibus commota, subdit enim, Et tunc quidem inuisibilibus Demones talia passi sunt, Nicephorus verò libro decimo Historiæ, capitulo trigésimo primo significat, etiam ipsa corporea simulachra corruisse, ubi miraculum quoddam refert de arbore, quæ in ciuitate Hermipoli ad Christi ingressum sese ad terram vsque reuerenter inflexit, ut ipsum adoraret. idem refert Sozomenus libro quinto Histor. capitulo vigésimo. Et in Historia Lausiaca in vita sancti Apollinis Abbatis, capitulo quinquagesimo secundo memorie prodidit Palladius, in eadem ciuitate Hermipoli extare templum, in quod ingresso Salvatore, omnia idola prostrata, comminutaque sunt. Procopius etiam super dictum locum Isaiæ hoc indicat, dicens, Cum Dominus in puerili ætate in Egyptum deuectus est, ineffabili potentia confregit idola. Citari etiam solent in hanc sententiam Athanasius libro de Incarnatione Verbi, & Origenes homil. 3. in diuersos. Tamen reuera ij Patres solum dicunt per Christum contrafacta esse Egypti idola, quando gens illa per Euangelij prædicationem, ad ipsum conuersa est, cuius veluti indicium, ac præfigium fuit introitus pueri Iesu in Egyptum, & ita apertè se exponit Eusebius. Illud ergo quod de euerfione idolorum dicitur incertum est. Et quidem quod in tota Egypto acciderit, non est admodum verisimile; quod verò in aliqua ciuitate, in qua Christus habitauit, diuina eius virtus idola confregerit, non est incredibile, quamquam in dicto loco Isaiæ non habeat fundamentum; sed in quadam humana hi-

storia satis incerta. Et idem iudicium fit de alijs miraculis, quæ circumferuntur à puero Iesu in Egypto facta, de quibus videri potest Burchardus in descriptione terræ sanctæ, parte secunda, capitulo quarto, & Cæsar Baronius in Annalibus anno primo.

Vltimò his duabus causis migrationis Christi in Egyptum, quas Euangelista attigit, & veluti literales sunt, addere possumus alias mysticas, & morales. Prima est, quam attigit Leo Papa sermone secundo de Epiphania, his verbis. Tunc autem etiam Egypto Saluator illatus est, ut gens antiquis erroribus delecta, iam ad vicinam salutem per oculum gratiam signaretur, & quæ nondum eiecerat ab animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem. Quam rationem magis explicans Eusebius supra, inquit in Egypto initium accepisse idololatram, eamque gentem fuisse omnium superstitionisissimam, & inimicam populi Dei, & longissimè à Prophetis abfuisse, & ideo apud illos Dei virtutem primò commoratum esse. Ex quo dicit factum esse, ut plus apud Egyptios, quam apud alios homines Euangelicæ doctrinæ verbum inualuerit. Quibus adde, propter hanc causam Egypti nomine sepe in Scriptura significari gentes vniuersas, vt notauit Hieronymus dicto loco Isaiæ 19. qui hoc modo illum tropologicè interpretatur, ut scilicet ibi prædictum sit, Dominum in humana carne venturum in mundum, & vniuersam Egyptum, id est, gentilitatem subiugaturum. Ad hoc ergo significandum voluit Christus statim in infantia in veram ac propriam Egyptum deferri, & Egyptiorum errores profligare, (vt ait Gregorius Nazianzen. oratio. 35.) Et hanc rationem eleganter persequitur Origen. dicti homil. 3. in diuersos. Eam verò auger, & confirmat Leo Papa sermone 3. de Epiphania his verbis, Egypto se parentum ministerio subiectus intulerat, repetens scilicet Hebræe gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph maioris providentiæ potestate disponens, ut illam diuiniorem omni inedia famem, qua Egyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de calo panis vitæ, & cibis rationis auferret: ne sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occasione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum.

Alter ratio moralis est, quam Origenes supra tetigit his verbis Christum alloquens, Fuge in Egyptum, ut ij, qui nomine Christi persecutionem patiuntur, tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter sentiant, viriliter præstent, Ecclesiam non deserant: sed semper meminerint, quia Dominus à peccatoribus persecutionem perpassus est: Et infra, Fugit enim Dominus de loco in locum, non mortem timens, neque interfecionem formidans: sed mysterium, & consummationem passionis expectans. Vnde vltèrius colligit sancti, voluisse Christum docere exemplo suo sectatores suos, licere in persecutionibus fugere. Nam quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat, ut dixit Cyprianus in libro de lapsis, parum à principio: Et Athanasius apolog. de fuga, qui addit, deuisse Christum, sicut esuriendo, sitiendo, patiando, ita quoque ipsa ratione fugiendo ostendere se carnem gestare, & hominem factum esse. Et statim adducit exemplum mysterium, quod explicamus: eandemque rationem tetigit Tertullianus libro de fuga in persecutione, cap. 8. & August. tractat. 15. in Ioan. & epistol. 180. Addit Eusebius Emisenus sermo. de Innocentibus, Christum fugiendo Herodem, nos docuisse, Diabolum, & membra eius fugere, nec itineris difficultate terri, quia melius est duro labore fatigari, quam ab hostibus necari. Et eleganter Petrus Chrysologus sermone. 150. Christus fugit nobis, non sibi Christus fugit, ut dispensata temporibus sacramenta seruaret, Christus fugit, ut futuris & virtutibus perfidis materiam tolleretur excusandi, credituris, & fidei

Fuga Christi in Egyptum ab Isaiâ propheta prædicta.
Isai. 19.
Chrysost.
Euseb.
Athanas.
Procop.

Ambros.
Hieronym.

Augustin.
Prosper.
Euseb.

Christus puer in Egyptum ingressus idola destruit.

Sozomen.
Pallad.

Procop.

Burchard.
Cæsar.
Baron.
Exilij Christi in Egyptum rationes & causa.
Leo Papa.

Euseb.

Hieronym.

Greg. Naz.
Origen.

Leo Papa.

Euseb.
Sulpicius.

Orig.

Cyprian.
Athanas.

Tertullian.
Augustin.
Euseb.
Emisenus.

Petr. Chrys.

fidei fiduciam largiretur, quia in persecutione melius est vivere, quam negare, & sermo. 151. acutè ponderat non dixisse Angelum Iosepho, vade in Ægyptum, sed fuges in Ægyptum, vt aperte fuga ipsa & mandari & honorari videretur, infra verò subdit, Christum fugasse, vt fugas nostras in persecutionibus temperares; vbi rationes alias eleganter affert, quæ ibi videri possunt.

SECTIO II.

Quando, & ad quem locum Christus ex Ægypto redierit.

Non est quoddam de ratione, & causa, ob quam Christus ex Ægypto rediit, quaestionem moueamus. Rediit enim, quoniam Ierusalem elegerat passioni, & vt in Iudæa doctrinam suam diffunderet. Definitum quippe erat, vt de Sion exiret lex, & Verbum Domini de Ierusalem. Solum ergo videntur posse, desiderari in hoc reditu duæ illæ circumstantiæ temporis, & loci, in titulo propositæ, quoniam ad Euangelicæ historiæ intelligentiam earum cognitio conferre potest.

De tempore igitur huius reditus illa quaestio tractanda occurrit, quo anno ætatis suæ Christus ex Ægypto redierit, hoc enim cognito, & stabilito tempore, quo à Galilæa egressus est, facile erit colligere, quot annis Ægyptum incoluerit. Prima ergo sententia est Epiphanius dicentis. Christum quarto ætatis suæ anno ex Ægypto rediisse. Ita docet libr. 1. de Pannarij, tom. 1. in fine, post hæresim 20. & libro 3. hæres. 78. vnde colligit Christum tantum duobus annis habitasse in Ægypto, existimat enim illo expleto biennio à natiuitate fuisse adoratum à Magis, & deinde in Ægyptum profectum. Hæc sententia tribui etiam potest Seuero Sulpicio libr. 2. Sacre historiæ, quatenus opinatur, sicut Epiphanius, Christum natum esse trigesimo tertio anno regni Herodis, & Herodem regnasse triginta septem annos. Inde enim fit Christum rediisse quarto ætatis anno, rediit enim statim post obitum Herodis, vt ex Euangelio colligitur.

Secunda sententia est Niceph. lib. 1. c. 14. qui dicit rediisse tertio anno ætatis, atq; ad eundem fere eisdem tribus annis mansisse in Ægypto. Decuerat enim ca. 13. fugam Christi in Ægyptum accidisse statim post eius præsentationem.

Tertia opinio est, Christum eodem, vel initio sequentis anni, quo iuit in Ægyptum, inde rediisse. Ita refert Cæsar Baronius in Annalibus anno octauo, & tribuit Otuphrio Panuino in Fastis, atque idem sentit in Chronico Ecclesiastico, vbi ponit hunc reditum Christi ex Ægypto in tertio anno ætatis Christi: cum tamen alibi in eodem anno videatur ponere fugam. Nam in Fastis libr. 2. Comment. dicit Christum natum esse anno septingentesimo quinquagesimo secundo, ab vrbe condita in fine eius, circumcissum autem, adoratum à Magis, & oblatum in templo initio anni septingentesimi quinquagesimi tertii. Postea verò anno 754. subdit hæc verba, Hoc anno Herodes Iudeorum Rex pueros interfecit, Ioseph, & Maria Christum Dominum in Ægyptum transportarunt. Harum sententiarum nullum reperiò probabile fundamentum.

Quarta opinio esse potest Christum venisse ex Ægypto, vel in fine quinti: vel initio sexti anni ætatis suæ. Ita Iansenius c. 11. Concordiæ. Cuius fundamentum est, quia Christus natus est anno trigesimo secundo regni Herodis (vt colligitur ex Eusebio in Chronico.) Ponit enim initium regni Herodis anno tertio Olympiadis 186. natiuitatem autem Christi Olympiade 194. anno tertio: regnavit autem Herodes triginta septem annis, vt est omnium sententia, Fr. Suarez, Tom. 2.

A Eusebii ibi, & Ioseph 14. antiquitatum, ca. 16. & lib. Ioseph. 17. c. 10. & aliorum, quos referam. Relinquitur ergo Christum agentem fere sextum ætatis annum ex Ægypto rediisse. Et pro eadem sententia asserri potest Beda, libr. de sex ætatibus. Licet enim dicat regnum Herodis triginta sex annis finitum fuisse: asserit tamen Christum natum esse in trigesimo primo anno regni eius.

Quinta sententia est Christum rediisse ex Ægypto in fine septimi, vel initio octauæ anni ætatis suæ. Ita sentit Ammonius Alexandr. in harmonia Euangeliorum, dicit enim Christum continuum septennium egisse in Ægypto, & in eadem sententia est Anselmus Matthæi secundo dicens, Dominum latuisse septem annis, & habitasse in quadam ciuitate Ægypti, quæ vocata est Heliopolis, & inferius significat fugam Christi in Ægyptum contigisse fere post annum à natiuitate. Dicit enim innocentes fuisse occisos post annum, & dies quatuor ab ortu Christi: colligitur autem ex Euangelio Christum paulò ante Innocentium necem aufugisse, vnde fit, iuxta sententiam Anselmi, fieri etiam potuisse vt Christus in Ægypto octauum ætatis annum expleverit. Quod verò Anselmus dicit de tempore cædis Innocentium, non video, quo fundamento nitatur, nisi quod fortasse existimauit, Innocentes eo die fuisse interfectos, quo eorum solemnitas ab Ecclesia celebratur, nimirum 28. die Decembr. cumque hoc non potuerit fieri eodem anno, quo Christus est natus, cum nondum fuisset circumcissus, adoratus à Magis, oblatum in templo, & in Ægyptum delatus, quæ omnia ante Innocentium necem facta esse compertum est, coniecit Anselmus eam eadem sequenti anno à Natiuitate Christi accidisse. Illud verò fundamentum, quod Anselmus supponit, infirmum est, & incertum, non enim necesse est Innocentes eo die interfectos esse, quo Ecclesia eos colit; imò fortasse, neque vno die interfecta est tanta Innocentium multitudo.

Vltima opinio est Cæsar Baroni, qui in Annalibus anno 8. existimat Christum rediisse ex Ægypto, inchoato nono anno ætatis suæ, & dicitur discursu quodam satis probabili. Primum enim supponit Herodem superuixisse vsque ad octauum annum ætatis Christi: mortuum autem (vt omnes cum Iosepho testantur) post Paschale tempus. Deinde sumit hunc reditum Christi ex Ægypto accidisse septimo die Ianuarii, vt habetur in omnibus martyrologiis, Romano, Bedæ, Adonis, Vuaridi, & aliorum. Vnde concludit non rediisse Christum vsque ad initium anni noui ætatis suæ, quod est aperte consequens. Quod enim cum mortuus fuit Herodes Christus ageret octauum annum, probat Cæsar, quia natus est vigesimo nono anno regni Herodis, qui (vt est omnium sententia) triginta septem annis regnavit. Assumptum probat idem Author latè in apparatu, ostendens initium regni Herodis sumendum esse ab anno secundo 187. Olympiadis, quo anno Augustus Antonium, & Cleopatram bello superauit Actiaco. Nam licet prius ante aliquot annos Herodes fuisset Rex institutus, anni tamen regni illius: (vt ipse coniecit) non sunt numerandi nisi à victoria Actiaca, postquam fuit ab Augusto in regno confirmatus, & stabilitus. Nam in superioribus annis partim non fuerat potius regno propter Antigonum, qui illud occupauerat, partim videbatur cecidisse à dignitate Regia, quod Antonii partes esset sequutus, vt constat ex Iosepho, libro decimo quinto Antiquitatum, capitulo decimo. Et confirmat hæc sententiam, quia cum Augustus omnia Antonii acta rescidisset, & Herodes prius ope Antonii regnum suscepisset, non est verisimile, Herodem ab eo tempore, quo ab Augusto illud accepit. Quod